

**Dissertatio medica inauguralis, de ventriculi carcinomate ... / eruditorum
exameni subjicit Gulielmus Sharpey.**

Contributors

Sharpey, William, 1802-1880.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebat Joannes Moir, 1823.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/tba7x7qx>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

14

DE

VENTRICULI CARCINOMATE:

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI,

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS SHARPEY,

Scotus,

CHIRURGUS;

SOCIET. REG. MED. EDIN: SOC. EXTRAORD.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES MOIR.

MDCCCXXIII.

14

DISSERTATIO MEDICA

IN QUAE

VENTRICULI CARCINOMATE

DE

GEORGI BAIRD, M.D.

AGGREGATI PROFESSORIS ANATOMIAE ET

CHIRURGIAE IN UNIVERSITATE VIRGINIANA

AD HONORIS GRADUM

CONFERRE

JOHN GIBSON DOCTOR

IN MEDICINA

UNIVERSITATIS VIRGINIANAE

IN ANNO 1858

PHILADELPHIA

SCIENTIAE

ARTIS

LIBRARIIS

—————

—————

—————

—————

—————

—————

GULIELMO ARROTT, M. D.

NON MINUS

BENEVOLENTIA ET CURA PATERNA

QUAM PROPINQUITATE,

MIHI CARISSIMO;

TENTAMEN HOC ACADEMICUM

OBSERVANTIAE ANIMIQUE GRATI

TENUE QUIDEM ARGUMENTUM,

SACRUM VOLO,

G. S.

GUILLERMO ARBOTE M.D.

PROFESOR DE FISIOLÓGIA

INSTITUTO DE CIÊNCIAS MÉDICAS

UNIVERSIDADE FEDERAL DO RIO DE JANEIRO

BRASÍLIA

1954

EDITORA NACIONAL

AV. BRASIL, 100

BRASÍLIA

1954

AMICO EXIMIO

ROBERTO KNOX, M. D.

&c. &c. &c.

HANC DISSERTATIONEM INAUGURALEM,

EXIGUUM VELUTI TESTIMONIUM

OBSERVANTIAE ET ERGA EUM AMICISSIMI

NEC BENEFICIORUM IMMEMORIS ANIMI,

CONSECRAT

AUCTOR.

ERRATA.

Ad pag. 8. lin. 23. *pro siegê lege siège.*

—— 26. — 15. *pro occurrenda lege iis occurrendum.*

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

VENTRICULI CARCINOMATE.

AUCTORE GULIELMO SHARPEY.

VENTRICULI Carcinoma, sive ad ortum spectemus atra caligine obrutum, sive ad exitum immutabiliter funestum, rite medici attentionem sibi postulat. Alia etiam vitia hoc interdum simulant periculo omnino vacua, et hinc revera, antequam nobis inter ea judicare liceat, historia ejus rite intelligenda.

Non mihi vero in animo est, aut multa exponere, aut longum argumentum deducere de quo in hac dissertatione agitur; pauca solum

ex iis in tabulas relatis excerpere et sic hujusce Almae Academiae legibus obtemperare.

HISTORIA MORBI.

INCIPIT plerumque hoc malum signis parum evidentibus. Morbo ineunte, praecordia leviter dolent vel molestia quadam opprimuntur; et dolor et oppressio mox graviores fiunt, et post sumptum cibum praecipuè urgent. Ad haec, brevi accedunt nausea, ructus, inflatio, ventriculi ardor et acor, crebrae vomitiones aquosae, et alia concoctionis laesae signa; hoc etiam tempore, dolor et oppressio dorso insidunt, et lumbos nonnunquam occupant. Aeger nunc post cibum vomit, ita ut e comestis magna pars, postquam in stomacho aliquamdiu manserit, vix ulla cum mutatione ejiciatur. Interea, diarrhoea interdum adest, sed rarissime, alvo fere semper pigerrimâ.

Cum ad hoc ventum est, tactu, tumorem

in epigastrio licet detegere; nec tamen semper. Tumor fere semper durus est, et a pressura dolet; modo in abdomine moveri potest, modo omnino fixus est: situm aliquando mutat, et, pondere vel aliis causis imum ventrem petit; vel, adhaesionibus inter eum vicinaque factis, sub hypochondrium sese recipit, ibique tactum penitus effugit. Symptomata morbi gravissima hactenus modo per intervalla subeuntia, et saepe per dies vel totas hebdomadas absentia, nunc continentia fiunt, et magis magisque in dies saeviunt. Stomachus ipse inconstans factus quaedam cibi genera respuit, dum alia facilè retinet, quamvis minus apta videantur. Alvus pertinaciter astricta manet, et dejectiones, sive liquidae sive solidae, nunquam non minimâ copiâ sunt, et *meconium infantum* saepè referunt.

Morbus huc usque progreditur sine jactura sanitatis notabili; nunc verò praeter alia aegri mala, vires labuntur, cutis stramineum vel quasi terreum induit colorem, oculi subsidunt, totusque demum vultus contrahitur: nunc

etiam corpus ex alimento nullum fructum capi-
piens, in cachexiam protinus ruit, et modo
aquâ tumet, saepius autem marcore consumi-
tur. Quod vomitu redditur malè olet, humo-
reque fuligineo inficitur; alvi dejectiones eun-
dem colorem nigrum plerumque exhibent.
Flocculi, quasi membranae fimbriae,* et san-
guis materiis sic redditis interdum admiscen-
tur, et hic jam concretione nigricans colorem
supra memoratum haud parum auget. Porro
nonnunquam accidit, ut, vasis quibusdam ma-
joribus ulcere apertis, ingens vis sanguinis vo-
mitione feratur, vitamque aegri in haud leve
discrimen ducat. Dolor et insomnia eum ex-
ercent, et sumptus cibus quaesitissimo crucia-
tu torquet. Alvus hactenus astricta, nunc
saepe prorsus solvitur, et ad mortem inducen-
dam multum confert. Per totum morbi de-
cursum, sed praesertim finem versus, pulsus
dolore ingravescente paululum concitatur, vel
tandem febris lenta accedit, quae hectica, si

* Vide MONRO, *Morbid Anatomy of the Human Gullet, Stomach, and Intestines.* Edin. 1811. ad pag. 331.

placeat, appellari potest; sed febris hectica *vera* hunc morbum simplicem nec ullo alio conjunctum, raro comitatur.

Tandem aeger, tot tamque gravibus aerumnis confectus, vel fame et inedia exhaustus, corpore ad summam maciem deducto, viribusque maxime attritis, postquam morbus aliquot menses vel complures annos duraverit, e vita leniter excedit. In perpaucis quidem exemplis, aegri, convulsione affecti vel delirantes, animam agunt; multo vero frequentius mors sine commotione adest.

Sic res plerumque sese habent. Multum vero abest ut hoc malum exitiabile signis tam evidentibus semper patescat.

Vomitio enim, quae inter indicia ejus certissima et stabilissima fere habetur, saepe per intervalla longiora abest et incertis tantum temporibus redit; aliquando aegrum non nisi ter quaterve per totam morbi durationem vexat, nec desunt exempla ubi omnino abfu-

erit.* Porro compertum habemus, ventriculum non schirro tantum, sed ulceratione etiam correptum, in exemplis quibus neque vomitus nec praecordiorum dolor unquam contigerint.† Quin et alia vitia huic morbo conjuncta signa ejus propria interdum velant, et, ubi haec insuper minus evidentia exstiterint, haud levem difficultatem dignoscenti inferunt.

Nunc de differentiis inter morbi signa, secundum partem ventriculi ab eo affectam, dicendum.

Si morbus cardiacam praecipue occupaverit, haec tunc dura et angusta facta, transitum ei-

* Vide exempla plurima a CHARDEL, citata in "Monographie des Degenerations Skirrheuses de l'Estomac." Paris, 1808. ad pag. 39, 45, 63, 143, 145, et seq.: Et a MONRO, op. cit. pag. 340.—Vide etiam exemplum in "BOURDON Memoire sur le Vomissement, Paris, 1819," ubi tunica muscosa omnino in schirrum versa erat.

† Vide BAYLE et CAYOL in "Dict. des Sciences Medicales, Tom III.—PEMBERTON on the Diseases of the Abdominal Viscera, edit. 2da, p. 129.—Dr STARK'S Works.—"De HAEN Ratio Medendi," in Vol. IV. apud pag. 182.

borum aegrè sinit; hinc inter devorandum sensus strangulationis injucundus, immo dolor immanis qui usque perstat, donec materia per os sumpta vel saltem ejus magna pars eâdem viâ reddatur; et hoc, eructatione, vel proprio quodam conatu potius quam vomitione effici solet, et e motu inverso fibrarum gulae pendere creditur. Liquida in guttur ingesta, saepe partim in ventriculum quodam cum murmure transeunt, partim eructantur. Spasmus fibras gulae musculosas subinde corripit, et devorandi impedimentum maxime auget, hac nova scilicet angustiae causa priori tunc adjecta.* Ad haec, aeger ferè multam pituitam viscosam vomit. Instrumento idoneo per gulam demisso, cardiam angustatam explorare licet. A nonnullis dicitur tumorem in regione ventriculi, commoda contrectatione sentiri, sed manifestum est, hoc solum fieri posse finem versus ubi macies extrema adest.

Pylorus hoc vitio affectus, non obstat quin facilius esca ventriculum intret; induratus ve-

* Dr MONRO, op. cit.

rùm et coarctatus, hunc aegrè sinit massam quam continet intestinis tradere; unde stomachus nimio onere distentus et gravatus ad vomendum cietur. Hoc saepe evenit duabus circiter post epulas horis, sed temporis lapsus haud constans.* Pylori aucta moles tactui plerumque obvia est, ejusque positio inter costas et umbilicum, ad sedem mali dignoscendam paulùm juvare potest. Huic vero non nimi-

* CLOQUET de octodecim exemplis mentionem facit; ex iis, “ quatre n’offraient aucune tumeur sensible à l’épigastre.” “ Sur quinze cas observés avant la mort, trois individus seulement vomissaient leurs aliments quelques minutes après les avoir pris. Les autres vomissaient à des époques éloignées; les liquides sur-tout étaient gardés fort long-tems. Quelques-unes même conservaient, dans leur estomac, les alimens de plusieurs jours, et les rendaient tous à-la-fois.” “ Plusieurs malades n’eurent aucune douleur, malgré le degré avancé de la maladie; quelques autres en avaient seulement dans l’état de plénitude de l’estomac; d’autres, au contraire, sont morts dans les convulsions et au milieu d’angoisses extrêmes. Un seul malade a été affecté de diarrhée; le siégè de sa maladie était au grand cul-de-sac de l’estomac.” (Bulletin de la Faculté de Médecine de Paris, 1810. No. VII. et VIII.)

um fidendum, namque pylorus et totus demum ventriculus e situ naturali saepe multum detrahuntur.

Symptomata leviora morbum comitantur, cum neque pylorus neque cardia implicantur, sed, iis integris, alia prorsus ventriculi pars laborat. Vomitus nimirum minus frequenter urget, quippe alimenta facile progredi possunt, et ubi vomitio revera accidit, est ferè sub morbi initium, vel finem versus, ubi ulcus adest, et ventriculus vicinis partibus adhaerescit.

Interea haud obliviscendum, dum hisce inter morbi signa pro ventriculi parte affecta, diversitatibus, attentionem dignam tribuimus, eas minime certas vel definitas esse, et indicia nuper monstrata nihil nobis praebere, nisi regulam quasi generalem, exceptionibus innumeris obnoxiam.

DIAGNOSIS.

DIFFICULTAS, ut jam dictum, hujus morbi ab aliis ei similibus dignoscendi, a signis ejus saepe obscuris et reconditis magna ex parte provenit; haec autem signa, licet maximè aperta, non semper pro certis hujus mali indiciis habenda sunt, aliis enim morbis saepe accedunt, eosque haud absimiles ei reddunt.

1. Prava ciborum concoctio et vomitiones diuturnae, ab aliâ quâvis causâ orientes, nec fabrica ventriculi laesa provenientes, hoc malum facile mentiuntur. Nimia ventriculi sensibilitas, et consensus partium etiam remotarum, vel demum aliae multae res, vomitiones modò dictas ciere possunt; sunt etiam qui eas ab inflammatione longa membranae ventriculi mucosae pendere credant. Ab his autem et similibus, morbus, etsi non semper, tamen saepe feliciter distingui potest, atque aegrotantium color vitiat, et vitae tempestas, et cibi appetitus

saepe longum perstans, una cum tumore ubi is adsit, discrimen fere satis notant.

2. Tumores summo abdomine siti, vel schirri vel non, si modo dyspepsiam comitentur, hunc morbum accuratissime simulant, et medicum peritissimum nonnunquam fallunt; inter eos tumores pancreas in schirrum versum, etsi rarissimum,* haud tamen notatu indignum est; namque dolor, macies, vomitus vel etiam tumor tactui evidens, quae inde plerumque oriuntur, haud parvam cum ventriculi cancro similitudinem creant. † In hujusmodi exemplis non indicio quovis unico, sed omnibus rite perpensis et inter se comparatis, sententia deducenda.

3. Arteria quaevis magna pyloro indurato

* Vide PEMBERTON, op. cit. p. 63. et HEBERDEN comment. Edit. 2da, p. 397.—etiam MORGAGNI de Sed. et Caus. Morb. Ep. XXX. Obs. 9. et seqq.

† Materia fusca ab iis quibus pancreas schirrosum nonnunquam evomitur, ut a MORGAGNI testatur,—vide Ep. 30. Obs. 9.

saepe impetum communicat, et tumor pulsans inde oriens aneurisma nonnunquam simulat, hujusmodi verò errores non possunt accidere, ubi alia signa adsunt.

4. Gulae contractio spastica cibis devorandis obstat, et cardiae coarctatae et schirrosae speciem refert; sed inter ea facile dignoscendum est, spasmus enim neque diu perstat, nec, ut cibi concoctionem impediat, necesse est.

DE CAUSIS.

MULTAE quidem et diversae ventriculi carcinomatis causae excitantes recensentur, sed ex iis sequentes praecipue innotuere, scilicet, tristitia diuturna, sollicitudo gravis, solitae exinanitiones, sive a naturâ sive arte pendeant, suppressae, acria et stimulantia omnigena in stomachum recepta, praesertim liquores, ut vocantur, "spirituosi," si eorum usus inveteraverit.

Verum, etsi nil dubitandum plures ex iis ad morbum inducendum aliquantulum conferre, tamen fatendum est, ea omnia sine ullo hujusmodi eventu saepenumero applicata esse, et ventriculum saepe schirrosum evasisse, ubi ex iis nulla vel saltem pauca, unquam egissent. Creditur itaque, quandam conditionem corporis certis hominibus contingere, quae eos huic morbo opportunos reddit; et sine eâ, varias causas jam memoratas plerumque nil efficere. De vera autem hujus conditionis indole, vel quibus signis sese ostendat, nondum adhuc ex liquido patet. Talem verò conditionem saepe existere, schirrus variis corporis partibus simul insidens, vel post excisionem revertens, satis monstrat.

Proclivitas ista a quibusdam haereditaria habetur, et haec sententia eo praecipue nititur, quod complures interdum ejusdem familiae cancro afficiuntur; sed hoc casui fortasse, potius quam labi haereditariae tribuendum; raro enim evenit; cancer contra haud infrequens morbus est, et multos afficit quibus consan-

Scirrho

Scirrho

*Cancer sine Cancro um significat mali
bi Scrotum et testesque vicina parte
ut ulceratione mutante*

guinei omnes maxime incolumes fuere. Medici verò de natura morbi haereditaria nondum adhuc inter se consentiunt, nec de ea fusiùs dicendi locus hìc est, quae ad dissertationem de cancro generatim potius quam ad rem pertinet.

Ætas provector huic malo favere videtur, plurimi saltem eo implicati annum quadragesimum attigere.

De naturâ canceri intima, seu causâ, ut dicitur, “proximâ,” nihil certum aut ritè confirmatum habemus. Plurimi ex antiquis cancrum bilis atrae mutationibus tribuere, et recentiores quidam sententias de eo haud minus ineptas edidere; scilicet, ab actione chemica, absorptione insectorum, a verme hydatide vocato, aliisque causis pene innumeris, eum pendere crediderunt. Alii autem statuunt eum esse inflammationem lentam *sui generis*; etsi verò haud sit denegandum, schirrum jam formatum saepe ipsum lentè inflammari, et vicinis partibus plerumque inflammationem

ciere, nondum tamen probatum est actionem corporis, quae eum gignit, inflammationem esse, nec pro certo habemus inflammationem schirro semper praeire. Hoc malum inflammationi tribuendum esse, ab eo etiam existimari potest, quod nonnulli credunt id saepe stimulis excitari; stimulos vero nisi inflammationem ciendo nunquam agere, non constat.

DE CADAVERUM SECTIONE.

NUNC de iis, quae corpore inciso patent, dicendum.

Cavo abdominis aperto, humor serosus in eo interdum reperitur, in plurimis vero exemplis ex quovis alio viscere simul laeso, nec ventriculo solo, provenit.

Ventriculus saepissimè vicinis partibus adhaesione adnectitur; pyloro affecto, cavitas

in dome

Spatium

lun plerumque amplior redditur, in caeteris vero exemplis minus justo capax ferè invenitur.

ita Liquorem nigrum saepe continet alimentis quae adsunt commistum, et materiae fuliginæ, dum adhuc aeger viveret vomitione reditæ, omnino similem. Sanies foeda ex ulcere proveniens, et sanguis e vasculis minimis eo erosis, copiam hujus liquoris sanè haud parum augent; at non semper ab ulceratione pendet; medici enim memorant eum interdum adesse ubi nullum ulcus, et nonnunquam penitus deesse ubi hoc latè serpserit.*

Ventriculi pars morbo implicita in schirrum saepius vertitur, et hunc vel integrum vel ulceratum solam esse fabricae laesionem in hoc morbo reperiendam, plurimi sentiunt; a nonnullis autem, inter quos BAYLE et CAYOL, dicitur, materiam cerebri instar schirro nonnun-

* Vide BAYLE et CAYOL. loc. cit.—MORGAGNI, Ep. xxx. 2. et 3.—LIEUTAUD Hist. Anat. Med. Lib. I. Obs. 1573; etiam varias obs. in Lib. I. Sect. 2. Art 17. et 25.

quam admisceri. Haec materia, ut in variis corporis partibus apparet, initio alba, opaca, et mollis est, et medullam cerebri mollioris maxime refert, in lobulos impares telâ cellulosâ tenuissimâ, divisa; vasa sanguinea plurima nec admodum parva ei extrinsecus superjecta, ramulos tunicis tenuissimis instructos, in medium ejus immittunt. Ubi diutius perstiterit, spissitudinem habet pulviculae tenuioris, roseum colorem induit, et sanguine coacto vel liquido mista est; tum demum superficies saepe ulceratur, processusque fungosi et cruenti e sinu ejus porriguntur. His de causis apud nos nomina Sarcoma Medullare, Fungus Haematodes &c. ei imposita, et *Matiere Cerebriforme*, *Tumeur Encephaloide* a Gallis nuncupatur.

Polacca

Haud a multis notatum invenio, istam materiam schirro in ventriculo conjungi; sunt autem, ut supra memoratum, qui sic sentiunt, et alii etiam qui existimant carcinomata ventriculi, etsi raro, tamen hac substantiâ nonnunquam omnino efformari;* quippe qui cancri

* LÆNNEC in Dict. des Sciences Medicales, Art. Encephaloide.

speciem eam esse putent. Dicunt, partem ventriculi affectam in hujusmodi exemplis haud permagnam esse, et in interna superficie depressionem circularem exhibere; necnon, *materiam cerebriformem* tunicae musculosae praecipue inhaerescere, eamque in propriam suam substantiam penitus vertere. De ventriculo autem sic affecto, perpauca tantum in libris scripta, nec mihi est quod e propriâ experientiâ referam.

Porro, haud ignarus sum, medicorum plurimos existimare *Sarcoma Medullare* nullo pacto inter carcinomata recensendum esse; alios autem id pro cancri specie habere; de natura autem cancri generali non mihi disserendum, nec meum est de hoc proposito difficili judicare, rem ergo in medio relinquam; quum vero, ut jam notatum, medici quidam memorant se *materiam cerebriformem* schirro in ventriculo junctam saepius vidisse, quae ii de hac re scribere nequaquam praetereunda existimavi.

Nunc vero de mutatione ventriculi schirro appellata.

Ubi schirrus aliquam ventriculi partem occupat, eam multo crassiorem et solita duriolem reddit. Sic densata pars et indurata plerumque benè definita est, et incisione facta, omnes ventriculi tunicas satis facile discernendas ferè exhibet. Eae vero tunicae a structura sana maxime deflexisse reperiuntur; interna seu villosa multo crassior justo est, et in substantiam albam versa, in quâ neque fibrae nec vasa ulla animadverti possunt: tunica musculosa item valde crassa, e materia flava vel cinerea conflatur, septis membranaceis transversim divisa. Quod vero ad membranam ventriculi externam attinet, haud inter medicos satis constat; sunt enim, et inter eos BAILLIE et MONRO, qui dicunt eam valdè firmam et valdè crassam reddi; nonnulli vero alii profitentur, se fere nunquam eam vidisse vitiatam nisi ulcus simul eam penetrâset.*

Quum diutius perstiterit morbus, loco jam

* BAYLE in "Journal de Medicine de CORVISART, LEROUX, et BOYER," Vol. V. p. 72.—Etiam BAYLE et CAYOL, Dict. Vol. III.

indurato ulcus est. Hoc ab interna superficie incipit, oras callosas, eversas et quasi laceratas habet, et sanie nigra plerumque scatet; ex eo carunculae fungosae subinde pullulant.

Ulcus saepè per ventriculi tunicas penitùs exedit, et in vicinam aliquam partem usque penetrat; sic jecur, lien, pancreas, septum transversum vel musculi abdominis fundum ejus interdum formant; sic etiam via nonnunquam alimentis aperitur, quâ ea e ventriculo in intestinum colon rectâ transire possint.*

In hujusmodi exemplis, adhaesiones quae inter stomachum et partes jam dictas fiunt priusquam ulcus eas attigerit, effusionem alimentorum saepius prohibent; conatus autem Naturae ad hunc funestum exitum praevenendum non semper adeo felices sunt; plura enim memorantur exempla, ubi subita mors talem effusionem protinus consecuta erat†; necnon,

* HALLER Opusc. Path. Obs. 25.—BONET Sepulchret. S. 7. Obs. 13.—MONRO Op. cit. p. 340.

† MORGAGNI Ep. XXIX. 15.—MONRO, p. 339.—Vide etiam Mem. de l'Acad. des Sciences, Tom. I.—Eph. Nat. Cur. &c.

etiam fertur, ulcus prope cardiam per septum transversum nonnunquam penetrâsse, et alimenta in thoracem inde irrupisse.*

Pylorus multo frequentius quam cardia schirrosus evadit,† et schirrus saepe partem ventriculi vicinam plus minusve afficit, rarius autem in duodenum tendit.

Haud facile dictu est, in qualem ventriculi fabricae partem schirrus primùm incidat : quidam credunt glandulas exiguas inter tunicam ejus mucosam et musculosam primariam sedem schirro praeberere ; ab aliis autem notatum est, unâ solum ex ventriculi tunicis affectâ, eam fere semper musculosam esse.‡

* BAYLE et CAYOL, Dict. Vol. III. p. 625.

† Ex octodecim exemplis a CLOQUET (loc. cit.) memoratis ; in uno tantum cardia fuit affecta, in alio, ventriculus totus et intestina a cardia usque ad rectum ; schirrus in sex aliis ventriculi partem sinistram, in reliquis decem exemplis pylorum et intestini duodeni initium occupavit.

‡ BAYLE et CAYOL, loc. cit.

Glandulae lymphaticae juxta ventriculum, plerumque induratae et magnitudine auctae reperiuntur, praecipue quae arcui ejus minori insidunt.

DE PROGnosi.

IN ventriculi cancro ubicunque sito, prognos^{is} semper admodum infausta est. Discriminis aliquid autem intercedit secundum partem ventriculi morbo implicatam.

Sic morbus cardiam occupans plerumque citius mortem fert, quam cuivis aliae parti insidens. Ibi enim aegrum saepe fame necat, antequam ulla adsunt ulcerationis indicia.

Porro, observandum est in omnibus morbi varietatibus, quo magis sanitas generalis ab eo fuerit turbata, eo citius mortem aegro appropinquare.

DE CURATURA.

QUAMVIS ars medica in hoc malo indomabili, nullam curationis spem praebere possit, minime tamen eo auxilium ejus spernendum. Nobis enim licet, diaeta idonea morbum quodammodo tardare et symptomata ejus gravissima vel saltem ex iis nonnulla idoneis remediis aliquando levare. Ita vitam aegri minus insuavem, si non diuturniorem, medicus reddit.

Varia remedia, ut specialia, et contra cancerum insigni vi pollentia, variis tempestatibus proposita fuere, sed de eorum virtutibus generatim non mihi licet diu agere, nec opus est; siquis enim secum reputaverit quam graves mutationes partes hoc malo affectae subeunt, non facile credo agnoscet eas ejusmodi remediis unquam tollendas esse. Carbonas Ferri, Oxidum Arsenici, Murias Barytae, Argentum Vivum et ingens aliorum cohors multum laudata fuerunt, sed Cicutae seu Conii Maculati

maxima omnium fama fuit. STOERK primus cicutam contra cancerum intrinsecus usurpavit; credidit porro se ope ejus schirros complures solvisse. In variis opusculis experientiam suam de cicuta evulgavit, et nomen ejus et existimatio, aliis etiam medicis ut remedii virtutes experirentur, persuaserunt. Quorum experimentis saepenumero iteratis, tunc demum constitit, cicutam, ad levanda quaedam symptomata haud inutilem, ad cancerum resolvendum, remedium plane ineptum esse. De Belladonna, Hyosciamo, et similibus, res ita ac de cicuta se habet.

Verum enim vero, dum hujus mali curatio plena exspes est, medicum tamen aegrotantium curaturam suscepturum summa ope niti decet, ut cursus ejus foedus, finisque funestus quam maxime sistantur, symptomata leventur, aegrique vires jam labentes quantum fieri potest reficiantur. Haec omnia sequente potissimum ratione emolienda :

1. Idoneo victu.—Cibus enim et concoctu

facilis et satis nutriens esse debet, omnia acria, acida, evitanda; maxime conveniunt, jus ex carne bubula vel vitulina, vel pullo gallinaceo factum, omnia farinacea et lac, cum vero hoc stomacho acescat, pauxillum calcis vel magnesiaei ei addendum. Aqua pura vel lacte mista bibenda, potus valentiores nocent, praecipue quae vocantur "spirituosi."

2. In hoc morbo plerumque nullus est locus exinanientibus; * sunt autem qui sanguinis detractionem laudent, per cucurbitulas vel hirudines epigastrio admotas. Inflammationem lentam cancrum plerumque comitari, ejusque ulcerationem finesque infaustos valdè properare supra jam notatum est; necnon satis

* MORGAGNI nos facit certiores Valsalvam venesectionem in schirris mammae vel uteri laudasse; "alterum vero, i. e. Valsalvam, in scriptis consiliis sive pro uteri, sive pro mammarum cancris tumoribus, affirmare solitum fuisse, inter magis efficacia ad tardandum utrorumque incrementum praesidia usu sibi compertum esse venesectionem quotannis quater, bis videlicet vere, et bis autumno institutam."

compertum habemus, tumoribus schirrosis extrinsecus sitis hirudines multum profuisse; itaque incipiente morbo, doloreque jam ingravescente, detractio sanguinis specialis videtur aliquid auxilii latura, quum vero diu perstiterit morbus, aegrique vires jam attriverit, manifestum est eam plane inutilem esse, nec sine fraude experiendam. Emplastrum epispasticum ventriculi regioni admotum, remedium minus anceps est, sed fortasse magis adhuc utile foret adipe Antimonio Tartarizato misto, eum extrinsecus perfricare.

3. Si nausea et vomitus crebrò aegrum exerceant, nec victui commodo cedant, tunc quidem occurrenda, Acido Carbonico inter effervescendum a salibus extricato, vel opio, vel Tinctura Opii cum Æthere mista; vel fomentis anodynis et remediis epispasticis extrinsecus adhibitis.

4. Dolor, Conii maculati succo spissato, vel opio praecipuè sopiendus; vel *linimento opiato* ventri illito et fomentis anodynis et epispasticis supra monstratis levandus.

5. Ardor et acor saepe evitantur, fructu, ole-
ribus et similibus quae acidum gignunt simul
evitatis; ubi vero jam adsunt, Magnesia, Po-
tassa vel Calce, aliisque materiis alcalinis tol-
lendi sunt.

6. Alvus quae hoc morbo tam pertinaciter
astringitur, modice solvenda est; hoc melius fit
Magnesia, vel sola vel Rhaeo palmato mista,
vel clysteribus et suppositoriis.

8. Ubi, cardiâ schirrosâ et coarctatâ, aegro-
tanti exitium fames minitatur, oportet vel per
tubum flexilem gulae immissum liquores ap-
prime nutrientes in ventriculum infundere,
vel, si id minus facile fieri queat (quod sane
verisimile est) eosdem vel similes liquores in
intestina sursum injicere.

